21

## INCIPIT PRAEFATIO DE UITA UEL ACTIBUS ET PASSIONE BEATISSIMI LANBERTI EPI

Si paganorum figmenta seu et nefanda prolixa astu-
deant pompa et plurima mendacia codicibus suis
commendare ut eorum uana gloria discurrat. cur nos
christiani salutifera taceamus miracula christi cum possi-
mus uel tenui sermone aedificationis de historia
sanctorum pandere hominibus. Ergo quamuis tanta
rei narratione sancti uiri Lantberti pontificis opera
indigni uideamur loqui auctoritate tamen christi cari-
tas poposcit frequentare eius et diuina gesta si adiu-
uerit fauor mihi qui ab adoliscentia compertus est
et per uiros prudentes cognoui adfirmantes non lepo-
re animo inquirens sermonem sed deuotione ple-
nissima ipsius unimatus per ea enarrare temptabo
eiusque cursum uitae uel gloriosum per actum martyrii in
quantum ad nostrum peruenit auditum licet inculto sermo-
ne ferre in publico ut cuius uita est cum christo memo-
riae gloriae prelatu celebretur in mundo. Praesertim
cum traditione ecclesiastica et apostolica ammonemur
auctoritate. ut sanctorum uitas seu uirtutes non nulla sancto
memorare ut scriptum est. Memoria sanctorum cum lau-
dibus. et illud. Laudemus uiros gloriosos qui con-
temserunt regna mundi; Ergo dignum esse credimus ut
quotienscumque sanctorum sollemnia curriculo anniuersa-
rio celebramus ex eorum gestis aliqua ad aedifi-
cationem conuenientibus christianis. in dei laudibus debe-
amus recitare. quoniam per uera christi muneris est quicquid
in sanctis eius laudabile inuenitur. Igitur sancti ac beatissimi
antistitis Lantberti. adiuuante superna gratia quam-
quam inperito sermone et absque prolixitate tendendum
cum gratia dei explendum curamus

## INCIPIT UITA ET PASSIO PRAEFATI EPI ET MARTYRIS XV KL OCTBR

Gloriosus uir Lantbertus pontifex oppido traiec-
tensi oriundus fuit. et altus ex parentibus locuple-
tibus secundum dignitatem saeculi inter praesides
uenerandi et a longa prosapia christiani; Ipse uero erat
in pueritia formosus et nobilis. electus ingente. et in
progenie sua crescebat benignus; Inter famulos et
cognatos suos. uultu fulgenti in omni affectu pol-
lebat eminenti aetate; Cum uidisset autem pater eius
tantam filii industriam et cunctis dilectum. exultabat
et gratias agebat; dilatabatur in gaudio. pro eo quod deco-
ratum se uidebat prole; A prima fere aetate tradidit
eum ad uiros sapientes et istoricos sacris litteris edocendum;
Ille uero cum magno studio officium suum assidue adhesit.
et uelociter ipsum consummauit; Cum autem inbutus fuisset
a prudentissimis uiris. reuersus est ad domum patris sui;
pueritiae annis excedens aeuum. adolescentiam cum industria
gerebat; spiritus sapientiae et humilitatis gratia
resplendebat in eo. augebatur cotidie in bonis operibus;
Eo tempore oppido traiectensi cathedrae pontificali prae-
sidebat summus pontifex theodhartus. diuinae dispensa-
tionis prouidentia; praeterea pater eius commendauit eum
iam supradicto antistiti. diuinis dogmatibus et mo-
nasticis disciplinis uel in aula regia erudiendum; Erat enim
adolescens sapiens. aspectu amabilis. conloquio affa-
bilis. recta conuersatione. tamen cum pontifice. quam et in
domo regia militare coepit. ita ut omnibus hominibus
esset conformis; Etiam cum esset forma praecipuus. fortis
et uelox. agilis multum. firmus in bello. animo claro. spe-
cie ornata. caritate et castitate atque humilitate fun-
datus. et tamen ad opus lectionis uacabat; Tantam gratiam
in conspectu pontificis inuenire meruit. ut quasi filium
heredem et successorem sibi eum eligere adoptaret. sollicitum
ei fuisset propter institutionem canonicam; Interfecto itaque
praefato antistite theodohardo. copiosa multitudo uiro-
rum in regione illa habitans. et cognoscens Lantberti
prudentiam. fidem et operam. atque conuersationem nobilis-
simam. clam locutione inuicem. eligere eum disponebant
ad pontificalem sedem; Ergo optimates uiri et inlustris-
simi qui eo tempore rectores palatii uidebantur. gloriosi

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_846/0047